

Tunc uidens herodes quod illusus esset a magis, iratus est ualde.

Et denique non necesse erat irasci, sed timere et contrahi, et uidere quoniam inutilia temptat. Sed non contrahitur. Cum ingrata enim fuerit anima et incurabilis, nulli cedit a deo datorum **farmacorum**. Vide itaque et hunc adhuc in prioribus certantem, et occisioni occisiones copulantem, et circa precipitationes ubique delatum. Velud enim a quodam demone, ab ira hac et emulatione bachatus, nullius habet curam, sed et aduersus naturam ipsam insanit. Et iram quae aduersus illudentes erat magos, aduersus pueros qui nullam iniusticiam fecerant, emittit. **Cognata** opera his quae in aegypto facta sunt tunc, in palestina audens. Mittens enim ait, interemit omnes pueros qui erant in bethleem et in omnibus terminis eius a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis. Hic michi cum diligentia intendite, etenim multi multa fabulantur, pro pueris his **iniusticiae**, ea quae facta sunt incusantes. Et hii quidem, mitius pro ipsis **aporiantur**, hii autem inuerecunde et insane. Vt igitur hos quidem ab insania, illos autem ab aporia id est a questione, liberemus, sustinendum est parum disputantibus nobis de causa hac. Si enim hoc incusant quoniam despecti sunt pueri interempti, incusent et militum occisionem qui petrum custodiebant. Quemadmodum enim hic puero fugiente, alii pueri pro eo qui querebatur occiduntur, ita utique et petrum a uinculis, et cathenis angelo liberante, **uniuocus** quidam et eiusdem moris tyranni huius, querens eum et non inueniens, obseruantes eum milites interemit pro illo. Et quid hoc est ait? Hoc enim non est solutio, sed aditamentum eius quod queritur. Scio hoc et ego. Et propterea in medium omnia talia fero, ut omnibus unam inducam solutionem. Quae igitur est horum solutio? et quam utique poterit rationabilem causam dicere? Quoniam non christus occisionis eis causa factus est, sed crudelitas regis, quemadmodum neque illis petrus, sed amentia herodis. Si enim murum effossum uel ianuas euersas uidisset, posset fortassis desidiaie incusare, milites custodientes apostolum. Nunc autem omnibus in eadem forma permanentibus, et ianuis clausis adhuc existentibus, et cathenis a manibus custodientium non excidentibus, etenim erant simul cum eo ligati potuisset silogizare ex his, si tamen recte decerneret ea quae facta sunt, quia non humanae uirtutis neque malicie fuerat quod fiebat. Sed diuine cuiusdam et paradoxa id est inopinabilia facientis uirtutis, et adorare eum qui fecit haec, sed non impugnare custodes. Ita enim deus fecit uniuersa quae fecit, ut non solum custodes non tradiderit, sed et regem per ea duxerit ad ueritatem. Si autem ingratus ille **apparuit**, quid hoc est ad sapientem animarum medicum, et omnia in beneficio inordinate laborantis negotiantem. Quod utique et hic est dicere. Cur enim iratus es o herodes a magis illusus? Non cognoscis quoniam diuinus partus erat? Nonne tu principes sacerdotum uocasti? Nonne tu scribas congregasti? Nonne illi uocati, et prophetam secum in tuum iudicium induxerunt, haec antiquitus predicentem? Nonne uidisti uetera nouis consonantia? Non audisti quia et stella his ministrauit? Non reueritus es barbarorum studium? Non ammiratus es eorum liberam presentiam? Non **horruisti** prophetae ueritatem? Non excogitasti a prioribus et ultima? Cur non ex his omnibus reputasti secundum teipsum, quia non deceptionis magorum fuit quod factum est, sed diuinae uirtutis, omnia ad quod oportet dispensantis? Si autem et deceptus es a magis quid hoc est ad pueros qui nichil inique egerunt? Vtique ait. Sed herodem quidem bene priuasti excusatione, et flagitiosum occisorem monstrasti.

Commented [ND1]: id est medicinarum *add. super lin.*

Commented [ND2]: uel similia *add. super lin.*

Commented [ND3]: [fol.28ra]

Commented [ND4]: id est querunt *add. super lin.*

Commented [ND5]: herodes *add. super lin.*

Commented [ND6]: [fol.28rb]

Commented [ND7]: timuisti *add. super lin.*

Nondum autem sermonem qui de iniusticia est eorum quae facta sunt soluisti. Etsi enim ille iniuste egit, cur deus concessit? Quid igitur utique dicemus adhuc? Quodcumque semper et in aecclesia, et in foro, et ubique dicens non quiesco, quod et uos uolo cum diligentia obseruare. Regula enim quedam est, ad uniuersam talem questionem nobis sufficiens. Quae igitur est regula, et quae est haec ratio? Quia iniusta quidem agentes sunt multi, iniusta autem patientes nullus. Et ut non amplius nos enigma turbet, et solutionem induco uelociter. Quodcumque enim utique patimur, iniuste ab aliquo, uel in peccatorum dissolutionem deus nobis reputat iniusticiam illam, uel in mercedis retributionem. Et ut manifestius fiat quod dicitur, in exemplum sermonem ducamus. Ponamus enim esse quendam famulum, multas debentem domino pecunias. Deinde ab iniquis uiris uexari famulum hunc, et auferri sibi quedam suorum. Si igitur dominus qui prohibere poterat raptorem et auarum hunc, illas quidem non restituerit pecunias, in his autem quae debentur ei a seruo reputauerit ea quae ablata sunt, numquid iniqua passus est famulus hic? Nequaquam. Quid autem si et plura reddet, numquid non et magis lucratus est? Omni utique homini hoc est manifestum. Hoc igitur et in quibus nos patimur reputemus. Quoniam enim pro his quae male patimur, uel peccata dissoluimus, uel clariores assumimus coronas si non tot peccata habuerimus, audi paulum dicentem ad eum qui adulterauit. Tradite hunc talem sathanae in interitum carnis, ut spiritus saluetur. Et quid hoc est ait. De his enim qui iniusta patiuntur ab aliis sermo erat non de his quae a doctoribus diriguntur. Maxime quidem hic nichil est medium. Quod querebatur enim erat hoc, si pati male non erat uexatio patienti. Sed ut et ad id quod est propinquius ei quod queritur, deducam sermonem, memento dauid. Qui semel tunc uidens iniacentem calamitati eius, et decemmilibus eum improperiis lauauit, uolentibus interficere militibus, prohibuit dicens. Dimittite eum maledicere ut uideat dominus humilitatem meam, et retribuatur michi bona pro maledictione hac in die ista. Et in psalmis autem cantans dicebat. Vide inimicos meos quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me, et dimitte omnia peccata mea. Et lazarus autem propterea adeptus est remissionem, quoniam decemmilibus secundum uitam hanc passus est mala. Non igitur iniqua passi sunt qui iniqua passi sunt, si uiriliter tulerint omnia quecumque paciuntur, sed et magis lucrantur siue a deo plagas perpessi fuerint, siue a diabolo flagellati fuerint. Et quale habuerunt peccatum pueri hii ait, ut hoc dissoluerent? De his enim qui in etate iam facti sunt et multa deliquerunt, decenter utique aliquis haec dicit. Qui autem ita acerbum sustinuerunt finem, qualia peccata per ea quae passi sunt deposuerunt? Non audisti me dicentem quia si peccata non fuerint mercedis retributio illic fit his qui hic male paciuntur? Quid igitur iacture passi sunt pueri interempti in causa hac, et ad non tumultuosum uelociter deducti portum? Quoniam multa et magna multociens erant ait bona, si uixissent directuri. Sed propter hoc non paruam eis praecondit mercedem, quia in causa tali dissoluerunt uitam. Sed aliter est. Si enim magni quidam futuri essent pueri, nequaquam dimisisset praeipi. Si enim eos qui in malicia continue sunt futuri uiuere, cum tanta fert longanimitate, multo magis hos neque siuisset ita auferri, si praeuidisset magna quedam eos perfecturos. Et hii enim sunt sermones qui super hoc a nobis sunt, non tamen hii sunt uniuersi, sed sunt et alii his ineffabiliores, quos cum certitudine nouit ipse qui haec dispensauit. Dimittentes igitur ipsi certiore in his comprehensionem ad ea quae deinceps sunt transeamus, et in eorum calamitatibus erudiamur omnia ferre uiriliter. Etenim non parua tragedia tunc assumpsit bethleem, raptis pueris a matrum papillis, et ad iniustam hanc adductis occisionem. Si autem adhuc pusillanimitas, et minor es ea quae in his est philosophia, discite finem eius qui haec ausus est. Et post parum assumpsit eum uindicta et flagicii huius decentes dedit penas, morte execrabili, eo quod ausus est miserabilem dissoluens uitam, et alia infinita male passus est. Quae omnia scietis iosephi de his hystoriam pertranseunt. Quam ut non longum facerem sermonem et continuitatem diuiderem, non necessarium esse estimauimus

Commented [ND8]: [fol.28va]

Commented [ND9]: inter haec que dico et que tu queris add. super lin.

Commented [ND10]: insultantem add. super lin.

Commented [ND11]: uel suae add. super lin.

Commented [ND12]: uel se add. super lin.

Commented [ND13]: uel laniantem add. super lin.

Commented [ND14]: infinita add. super lin.

Commented [ND15]: [fol.28vb]

Commented [ND16]: uel non procellosum add. super lin.

Commented [ND17]: uel acturi add. super lin.

Commented [ND18]: uel forte add. super lin.

Commented [ND19]: uel uicturi add. super lin.

Commented [ND20]: sensum, uel solutionem add. super lin.

Commented [ND21]: herodius add. super lin.

Commented [ND22]: uel iosephi add. super lin.

Commented [ND23]: [fol.29ra]

presentibus imponere. Tunc impietum est quod dictum est per ieremiam prophetam dicentem. Vox in rama audita est rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt. Quoniam enim horrore impleuit auditorem haec enarrans, occisionem uiolentam, iniustam, crudelem, iniquam, mitigat hoc rursus dicens. Quoniam non nequeunte deo prohibere haec facta sunt, neque ignorante, sed prudente et predicente per prophetam. Ne igitur tumultueris neque decidas, ad ineffabilem eius prouidentiam respiciens, quam et per quae operatur, et per quae concedit maxime est uidere. Quod nimirum et alio loquens discipulis enigmatice insinuauit. Quoniam enim iudicia et inductiones, et mundi prelia, et implacabilem pugnam eis predicebat, retinens eorum animas et mitigans ait. Nonne duo passeress asse ueneunt? Et unus ex ipsis non cadet in terram sine patre uestro qui est in caelis. Haec autem dixit monstrans quia nichil ignorante eo fit, sed sciente quidem omnia, non tamen omnia operante. Ne igitur ait turbemini, neque tumultum paciamini. Qui enim sciuit quae patimini et prohibere poterat, manifestum quia prouidens uobis et procurans, non prohibet. Quod et in temptationibus nostris intelligere oportet, et sufficientem hinc assumemus consolationem. Et quid ait commune est rachel ad bethleem, fortassis aliquis dicet. Rachel enim ait plorans filios eius. Quid autem est rama comune ad rachelem. Rachel mater fuit beniamin. Et cum mortua esset in yppodromum eam sepelierunt, qui prope uillam hanc erat. Quoniam igitur et sepulchrum prope erat, et sors pueri huius beniamin rachelis erat, rama enim beniamindis tribus erat, et a principe tribus et a loco sepulchri, decenter rachelis pueros occisos uocat. Deinde monstrans quia incurabile erat quod contigerat, et ulcus crudele erat, ait noluit consolari quia non sunt. Rursus et hi erudimur hoc quod et ante dixi, nequaquam turbari cum ea quae efficiuntur, dei promissioni fuerint contraria. Ecce denique adueniente ipso in salutem populi magis autem in salutem orbis terrarum, qualia facta sunt proemia. In fuga quidem fuit mater, in calamitates autem intolerabiles patria incidit, et ausus ipse est homicidium omnis homicidii amarissimum, et planctus et luctus multus, et dolores ubique. Sed ne turberis. Assueuit enim semper per contraria dispensationes suas complere, maximam suae uirtutis tribuens nobis demonstrationem. Ita enim et discipulos suos inducebat, et dirigere preparabat. Per contraria dispensans contraria, ut maius miraculum efficiatur. Flagellati denique illi et expulsi et infinita patientes mala, ita flagellantes se et expellentes uicerunt. Defuncto autem herode ecce angelus domini in sompnis apparuit ioseph dicens. Cum surrexeris accipe puerum et matrem eius, et uade in terram israel. Non adhuc ait fuge, sed uade. Vides rursus post temptationem remissionem? Deinde post remissionem periculum rursus? Ab exultatione enim dimittebatur, et ad propriam redibat regionem, et interfectorem puerorum occisum uidit. Vadens autem ad domum, rursus reliquias priorum inuenit periculorum id est filium tyranni uiuentem et regnantem. Et qualiter archelaus regnauit in iudea, iudeae pontio pilato duce existente? recens erat finis nuper effectus. Et nondum in multa erat diuisum regnum, sed ut nunc defuncto illo, interim filius principatum retinebat, pro herode patre suo. Etenim et fratri eius hoc nomen erat, ideo apposuit aeuangelista pro herode patre suo. Sed in iudeam formidabat ait ire propter archelaum. Oportebat et galileam propter herodem timere. Sed quoniam uillam mutauit, res ergo obumbrabatur. Promocio enim omnis aduersus bethleem erat et fines eius. Occisione igitur facta, extimauit ex tunc puer archelaus finem omnia habere, et inter multos et eum qui querebatur interemptum esse. Insuper autem et patrem cum ita dissoluisset uitam uidisset, reuerentior ad procedendum ultra factus est, et ad certandum de iniquitate. Venit igitur ioseph in nazareth, simul et periculum fugiens, simul et libenter in patriam incedens, ut magis confidat. Et responsum suscipit de hoc ab angelo. Et tamen lucas non dicit per responsum iuisse ipsum illuc. Sed quia purgationem complentes omnem, reuersi sunt in nazareth. Quid igitur est dicere? Quoniam tempus quidem est ante descensum in aegyptum, in hystoriam deducens lucas haec dicit. Neque enim utique ante

Commented [ND24]: sustinens add. super lin.

Commented [ND25]: suos add. super lin.

Commented [ND26]: [fol.29rb]

Commented [ND27]: dux iudeae, sed hic pro cesare. add. super lin.

Commented [ND28]: uel impetus add. super lin.

Commented [ND29]: [fol.29va]

Commented [ND30]: uel audeat add. super lin.

Commented [ND31]: possumus add. super lin.

purgationem descendere fecit illos illuc, ut nichil fieret preter legem. Sed expectauit purgari, et uenire in nazareth, et tunc descendere in aegyptum. Deinde post ascensum, iubet eos in nazareth uenire. Ante hoc autem non responsum acceperat illuc ueniendi, sed libenter morantes in patria, sponte hoc faciebant. Quoniam enim propter nichil aliud quam propter descriptionem ascenderunt, et neque stare alicubi habebant, complentes propter quod uenerunt, descenderunt in nazareth. Propterea utique et angelus eos ex reliquo requiescere faciens, tribuit patriae. Et neque hoc simpliciter facit, sed et ipsum cum prophetia. Vt impleatur enim ait quod dictum est per prophetas, quoniam nazareus uocabitur. Et qualis propheta hoc dixit? Non circumscribere, neque inuestiga. Multi enim propheticorum non comparent libri. Et haec ex hystoria paralipomenon id est derelictorum, utique aliquis uidebit. Desides enim existentes, et in impietatem continue incidentes, haec quidem dimiserunt perire, haec autem ipsi combusserunt, haec autem inciderunt, et hoc quidem ieremias enarrat, hoc autem qui quartum composuit regum librum, dicens. Post multum tempus uix deuteronomion inuentum esse, suffosum alicubi, et non apparens. Si autem non existente barbaro aliquo, ita libros tradiderunt, multo magis barbaris superuenientibus. Quoniam et apostoli multis in locis nazareum uocant, quia predixerunt prophetae. Hoc igitur obumbrabat prophetiam quae erat de bethleem? Nequaquam. Sed hoc ipsum quidem maxime mouebat et ad scrutationem erigebat eorum quae de ipso dicuntur. Ita denique et nathanahel ad questionem quae de ipso est uenit dicens. Ex nazareth potest aliquid bonum esse? Etenim erat humilis haec uilla. Magis autem non solum abiecta erat haec uilla, sed et omnis pars galileae. Propterea dixerunt pharisei. Interroga et uide quoniam propheta ex galilea non surrexit, sed tamen ipse neque inde uerecundatur uocari, monstrans quia nullo indiget humanorum. Et discipulos ex galilea eligit. Vbique inuestigationes incidens eorum qui desides esse uolunt, et monstrans quia nullius exteriorum est nobis necessitas, si uirtutem adepti fuerimus. Propterea neque patriam eligit. Filius enim hominis ait, non habet ubi caput reclinet. Et herode insidiante fugit, et in presepe natus reclinator, et in diuersorio manet, et in matrem humilem accipit, docens nos nichil tale ignominiosum esse estimare. Et humanum ex ipsis proemiis conculcans tumorem, et solius esse uirtutis precipiens.

Quid enim in patria magna sapis? cum ad omni orbe terrarum alienum te esse iubeam ait, cum possibile sit tibi effici talem, ut totus mundus non sit te dignus. Ita enim haec contemptibilia sunt, ut neque a philosophis grecorum digna estimuntur cura aliqua sed exteriora uocentur, et ultimam regionem detineant. Quamuis paulus assumat haec ait, ita dicens. Secundum electionem autem dilecti propter patres. Sed dic quando et de quibus et ad quos loquens. Ad eos enim qui ex gentibus erant, et maxime tuebant in fide, et aduersus iudeos insurgebant, et ex hac uehementer eos rescindebant. Diminuens quidem illorum tumorem, hos autem adtrahens et ad eundem excitans zelum, quoniam cum de illustribus illis et magnis uiris loqueretur, audi qualiter ait. Qui autem haec dicunt ostendunt quoniam patriam exquirunt, et siquidem illius meminissent aqua exierunt, haberent utique tempus reuertendi. Nunc autem aliam meliorem concupiscunt. Et rursus post fidem mortui sunt hii omnes, cum non reportauerint promissiones, sed alonge eas uiderint, et amplexati fuerint. Et iohannes autem his qui ad eum ueniebant dixit. Ne uideamini dicere quoniam patrem habemus abraham, et paulus rursus, non enim omnes qui ex israel sunt hii israel sunt, neque qui filii carnis sunt, hii filii sunt dei. Quid enim samuhelis pueri utilitatis habuerunt dic michi ex nobilitate patris, non facti uirtutis patris heredes? Quid autem qui moysi fuerunt lucrati sunt, cum non zelati fuerint eius diligentiam? Quo circa neque successerunt in principatu. Sed ipsi quidem, ipsum inscripserunt sibi patrem, plebis autem ducatus ad alium transiuit filium, secundum uirtutem eius factum. Quid autem timotheus iacture perpessus est, a patre greco

Commented [ND32]: uel domo add. super lin.

Commented [ND33]: ex tunc add. super lin.

Commented [ND34]: [fol.29vb]

Commented [CN35]: Morale nonum, de auaritia, et aduersus diligentes aurum notum in marg.

Commented [ND36]: [fol.30ra]

Commented [ND37]: uel salutauerunt add. super lin.

Commented [ND38]: uel opinemini add. super lin.

existens? Quid autem rursus noe filius lucratus est, seruus ex libero factus? Vides qualiter non sufficit patris ingenuitas, natis ad preminentiam? Electionis enim malicia, nature leges deuicit. Et non solum eum a nobilitate quae est ad genitorem sed et a libertate expulit. Quid autem et esau? Nonne filius erat ysaac, et genitorem habebat superstantem sibi? Sed et pater studebat et cupiebat participare eum suis benedictionibus. Et ipse pro hoc omnia quae uidebantur faciebat, sed tamen quia peruersus erat, nichil horum ei profuit. Sed et natura primus existens, et patrem secum omnia agentem habens, quoniam deum non habebat secum, ab omnibus excidit. Et quid dico homines, filii dei facti sunt iudei? nichil a nobilitate hac lucrati sunt. Si autem filius dei aliquis factus, si non nobilitatis huius cura **dignam** uirtutem demonstrauerit punitur uehementer, quid michi progenitorum et auorum nobilitatem profers in medium? Neque enim in ueteri testamento solum, sed et in nouo contigisse hoc inueniet aliquis. Quotcunque enim acceperunt **ipsum** ait, dedit eis potestatem filios dei fieri. Sed tamen filiorum horum multis nichil utilitatis illatum esse a patre, paulus dixit. Si enim circumcidamini ait, christus uobis nullo proderit. Si autem christus nichil prodest, his qui nolunt sibi ipsis intendere, qualiter homo proficiet? Ne igitur neque in nobilitate, neque in diuiciis ita dispositorum, magnum sapiamus. Neque in inopia frangamur, sed illas queramus diuitias, quae sunt in operibus bonis. Illam fugiamus inopiam, quae in malicia constituit nos. Propter quam et diues ille inops erat. Ideoque neque guttae factus est dominus, etsi multam pro ea fecerit supplicationem. Et profecto quis utique ita fiet inops apud nos? Non est aliquis. Etenim qui ultima fame liquantur, guttam habere possunt, et non guttam solam, sed et multo ampliorem mitigationem. Sed nequaquam hoc diues ille habebat, sed et usque adhoc inops erat. Et quod utique difficilium erat, quia neque mitigare undecumque inopiam possibile ei erat. Quid igitur circa pecunias iniamus, cum in caelum nos non inducant? Dic enim michi, si rex quidam terrestris dixisset quia diuitem impossibile est in palatiis fulgere, uel honorem assumere aliquem, numquid non utique omnes despicientes proicerent pecunias? Deinde si ab honore quidem qui in inferioribus est palaciis nos expulerint, contemptibiles erunt, caelorum autem rege per singulos dies clamante et dicente, quia difficile est cum ipsis superuenire, his quae sunt ante sacra illa hostia, non proiciemus omnia et non desistemus ab omnibus rebus ut cum libera faciae in regnum ingrediamur? Et qua uenia digni sumus ea quae prohibent eam quae illic est uiam cum multo circumuallantes studio, et non solum in arca sed et in terra occultantes, cum **possibile** sit caelorum custodiae ea tribuere? Quia nunc idem facis quale siquis agricola frumentum accipiens ut seminet pinguem aream, dimittens eam aream in lacum frumentum omne suffoderit, ut neque ipse assumat, et frumentum corruptum pereat. Sed quae est haec multa **earum** **cura**, cum haec aduersus eas incusemus? Non paruam quandam mitigationem ait, fert, scire quod cum stabilitate nobis deposita sunt intus omnia. Scire quidem igitur quod **deposita** sunt, mitigatio est, etsi enim ex tunc non famem times, sed alia difficiliora propter depositionem hanc timere necesse est, mortes, prelia, insidias. Si autem fames unquam assumet ciuitatem, rursus plebs a uentre coacta, dexteram armabit aduersus tuam domum. Magis autem cum haec feceris tu et famem in ciuitates inducis, et fame difficilium hoc baratrum tuae construis domui. Famis enim necessitate non uidi aliquos defunctos esse uelociter. Etenim est multa multis ex locis excogitare, ad mali huius mitigationem. Per pecunias autem et diuicias et tales negotiationes multos interemptos monstro, hos quidem occulte, illos autem publice. Et multis quidem talibus exemplis plene sunt uiae, multis autem iudicia et fora. Et quod dico uias, et iudicia et fora? Etenim mare ipsum, uidebis sanguinibus impletum. Non enim utique terrae dominata est tyrannis haec, sed et in pelagos est uegetata cum multa amentia. Et hic quidem nauigat propter aurum, hic autem occiditur propter hoc ipsum. Rursus et eadem tyrannis hunc quidem negotiatorem fecit, illum autem homicidam. Quid igitur infidelium unquam est mammona, cum propter eum absentetur et periclitetur, et

**Commented [ND39]:** id est magnam *add. super lin.*

**Commented [ND40]:** [fol.30rb]

**Commented [ND41]:** [fol.30va]

**Commented [ND42]:** pecuniarum *add. super lin.*

**Commented [ND43]:** uestra *add. super lin.*

**Commented [ND44]:** recondi *add. super lin.*

occidatur? Sed quis miserebitur ait incantatoris a serpente morsi? Oporteret enim, scientes crudelem tyrannidem, fugere seruitutem, et dissoluere perniciosum desiderium. Et qualiter ait hoc est possibile? si aliud inducis desiderium, quae est caelorum. Qui enim desiderat regnum deridet auariciam, qui factus est christi seruus non est seruus mammonae sed et dominus, persequentem enim se fugere assuevit, fugientem **autem** persequi. Non ita persequentem honorat ut contempnentem se. Nullum ita deridet ut desiderantem se. Non deridet autem solum, sed et decemmilibus eos circumuallat uinculis. Soluamus igitur uel sero difficiles has catenas. Quid in seruitutem redigis rationalem animam, irrationali materiei, matri decemmilium malorum? Sed heu de derisione. Nos quidem enim cum eo preliamur sermonibus, ipse autem nos impugnat **per opera**, et ducit ubique et circumfert, quemadmodum argento emptos et flagellatos dehonorans, quo quid fiet unquam turpius et inhonorabilius? Si enim materies insensibiles non uincimus, qualiter uirtutes incorporeas uincemus? Si terram abiectam et lapides proiectibiles non contempnimus, qualiter principatus et potestates subiciemus? Qualiter sobrietate erudiemur? Si enim argentum fulgidum nos stupefacit, quando pulcritudinem uisus poterimus transcurrere? Etenim ita quidam dediti ad hanc sunt tyrannidem, ut et ab ipso uisu auri pociantur aliquid, gauisi dicant, quia et oculis prodest nomisma auri apprensus. Sed ne ludas taliter o homo. Nichil enim ita offende oculos corporis et animae, ut horum desiderium. Haec itaque iniqua concupiscentia uirginum illarum lampades extinxit, et a thalamo abiecit. Hic uisus qui oculis prodest ut dicis, miserum iudam non dimisit audire domini uocem, sed et in laqueum duxit, et medium crepare fecit, et post illa omnia in gehennam immisit. Quid ergo hac fiet unquam iniquius? Non materia pecuniarum dico, sed concupiscentia earum intemporanea et insana. Etenim sanguines humanos stillat, et occisionem uidet, et fera omni est difficilior, et rescindens aduenientes quod multo deterius est, neque scissiones has permittit sentire. **Cum** enim deceret eos qui talia paciuntur ad transeuntes manum extendere et eos in auxilium uocare, hii et gratias reddunt de talibus plagis. Quo quid fiet unquam miserabilius? Haec igitur omnia intelligentes, fugiamus incurabilem hanc egritudinem, curemus eius morsus, et longe desistamus a tali iactura, ut et hic stabilissimam et inturbabilem uiuamus uitam, et futuris pociamur thesauris. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cum quo patri gloria simul cum sancto spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum amen.

**Commented [ND45]:** [fol.30vb]

**Commented [ND46]:** cum operibus *add. super lin.*

**Commented [ND47]:** [fol.31ra]